

tem generalem sunt applicabiles. Et idem dicendum de magnitudine, & sequentibus.

III. Regulae decem,

*Regulae sunt numero decem, quæ etiam vocantur quæstiones, quæ sunt vasa ad omnia intelligibilia.* Nam hæ quæstiones sunt ad omnes alias quæstiones applicabiles. Omnes enim in istis implicantur, & sunt hæ: *utrum, quid, de quo, quare, quantum, quale, quando, ubi, quomodo, cum quo?*

Lexici philosophici generalis

*Sequitur praxis horum terminorum.* Verbo dicam. *Ars hæc applicativa, est Lexicon philosophicum generale, cujus fabricam & usum docebo.*

1. Fabrica,

*Fabrica ita habet.* Fiat volumen grande in folio, & illud dispescatur in decem partes principales, pro numero decem subjectorum. Singulæ partes sibi vendicent bis novena folia; quibus inscribantur 18. prædicata, singulis singula. Singula folia dividantur in 10. particulas, quibus inscribantur 10. quæstiones, singulis item singulæ.

2. Usus.

*Usus hujus Lexici est infinitus.* Est enim bibliotheca universalis locorum communium. Præcipuus autem usus duplex. Principiò huc possunt, & verò debent, omnia referri, quæ occurrunt de Deo, Angelo &c. Neque enim Deus consideratur in hoc Lexico Theologicè, sed ratione suorum prædicatorum, quatenus ea sparsa sunt per singulas disciplinas. E.g. si occurrat in Theologiâ titulus bonitatis, vel magnitudinis; tuum erit recurrere ad hoc Lexicon, ubi vides aliam Dei, aliam Angeli &c. esse bonitatem.

Deinde hoc Lexicon facit ad ἀποείαν reminiscen-